

Gamelbd.

010

de,

*Cur e ludis, tanta cura emendatis, nihilominus
pauciores exeant boni iuuenes, quam prius?*

IN QVIRIT,

A D


DECLAMATIONES QVATVOR

DIE INSTAVRATIONIS RELIGIONIS MEMO-
RIAEC SACRO

BENIVOLE AVDIENDAS

HUMANISSIME INVITANS

CAROLVS HENRICVS SINTENIS
LYCEI TORGAVIENS. RECTOR.



IN OFFICINA IACOBAEERIANA.

MDCCLXXVII.

CONFESSIO
CHRISTIANORUM
CATHOLICORVM
ET PROTESTANTVM

IN GALLIA

AD

DECIMATONIS
GALATOR

DIE HISTORIÆ RELIGIONIS MAM
RVM SACRVM

MINISTERIA TESTIMONIA

HISTORIAS INITIA

CARDINALIS HENRICVS SINTENS

ITEM TOTUS EPISTOLAS

EX QDCCXXVII A QDCCXXVIII

MDCCXXII



Querimoniae, quas permuli Professorum, in summo eruditionis fastigio constitutorum, summaque nominis gloria, tam sacrae, quam profanae reipublicae commodis inservientium, de miserabili iuuenium, qui scholis derelictis in Academiam se conferunt, ignorantia, et parum elegante viuendi ratione, mouent, quin omni admiratione, omnique lucu sint dignissimae, nemo certe est, qui dubitet. Non solum ipsa malorum, quorum grauitatem atque perniciem hi Viri non occulte gemunt, indeo siue pestis, sed etiam aetatis nostrae conditio, qua omnia ad singendae erudiendaque iuuentutis usum atque salutem ardentissimo studio conferri videntur, maxime mentis perturbatione, vehementissimoque dolore nos distrahit. Quid enim est, quod veritati conuenientius videatur, hoc, omnium munerum, quae firmandae stabilendaeque utilitati publicae consulant, id esse omnino grauiissimum, maximeque necessarium, quo ciues formentur, qui, totum officiorum, patriae suauissimae persolveradorum, ambitum, eorumque integre praefundorum adminicula, probe edocti, summa cupiditate flagrent, ut, quaeunque in ipsorum potestate sint posita, animo promptissimo paratissimo que ad communem felicitatem conferant? Cicero, qui certe aequissimorum virorum, in pretio vitae scholasticae ponendo, unus est, libro II. de Diuinat. in laudem eius dicit sequentia: quid munus reipublicae afferre maius meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus iuuentutem, his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut

IV

omnium opibus refrenanda atque coercenda sit? Reipublicae enim flos atque vigor si tunc temporis modo constans est atque perpetuus, cum de futurae ciuitatis membris spes concepi potest, fore, ut ex interna vi quadam, publicae salutis augendae rationem habeant, necesse est, ut intimae laetitiae voluptatisque sensu afficiamur, si scholae sic sunt comparatae, vt in illarum, quasi in tenerinamarum matrum, finu atque complexu eiusmodi ciues, in spem patriae posteritatisque, succrefeant. Sed quanta, quamque lugubri admiratione optimus quisque, cui rerum sacrarum et ciuilium emolumenta curae cordique sunt, abripitur, si Viri, qui, fundamentis scholasticis innixi, iuuentute sublimiori disciplina imbuere ges-
tiantur, de horrenda eius infictia, nimiaque morum asperitate conque-
runtur! Sic omnis meliorum temporum spes, instar somnii, euaneat, sic sancta Religio, sic vera Sapientia, sic exquisita Eruditio, sola felicitatis, tam publicae, quam priuatae, media, proscribuntur et pro-
pelluntur, sic periculosisimae animi levitati, sic stultitiae pe-
tulantissimae, sic perniciosissimae barbariae via sternitur, aditusque para-
tur! Quis igitur est, qui satis deplorare possit statum atque conditionem
aetatis nostrae? quis est, qui posteritati, cui grauissimum infligitur vulnus,
succurrat, atque medeat? Quomodo vero fieri potest, vt his nostris
temporibus contra omnem spem tales querelae audiantur? cur nos ex-
cruiciamus tanto angore, nos, quorum aetas in felicissima tempora inci-
disse videbatur? quantus est prouenit auctorum, qui, licet non omnes,
ob valde disparem rerum scholasticarum cognitionem, ex parte tamen,
publicae disciplinae saluberrima consilia dederunt! nonne in primis Ele-
ctoris Celsissimi auspiciis et sapientia Renovata Constitutio Scholastica, quae
omnium, publicae salutis amantium, ciuium votis erat expetita, scholarum
curavit emendationem saluberrinam? Certissimum est, hoc munus, quod
Patris patriae Optimi cura reipublicae attulit, tam insignis esse magni-
tudinis atque praestantiae, vt reliquas Eius res gestas omnes non minori
splendore superet, quam, pro sententia Ciceronis, Solonis de constitueris
Areopagitis consilium superauit clarissimam Themistoclis victoriā, cuius
testis fuit Salamis. Vix igitur credi potest, optatis nostris, quae instau-
rationem scholarum spectabant, non respondisse euentum felicissimum,
quid? quod, contrarium, quod nunquam timendum esset visum, omnem
spem usque eo irritam fecisse, vt Religio atque Eruditio in summa ver-
arentur periculo. Evidem, dicendum, quod verum est, per aliquot
episto-

epistolas Summorum Virorum, qui in Academiis docentium munere religiose funguntur, certior de eo sum factus, hinc otium, quod permulta lectio-nes mihi concederunt, ad nullam aliam rem salubrius me collaturum putavi, quam si rationes inquirerem, *cur e ludis, tanta cura emendatis, nihil minus pauciores exeat boni iuuenes, quam prius?* Ordo, quem in tractan-do hoc argumento obseruabo, hic est, vt ante omnia vberiori descriptio-ne indicem, qui iuuenes ad Academiam bene sint praeparati, deinde com-probem, renouatam scholarum constitutionem huic meditationi quam optime posse inferire, et postremo denique causas proferam, cur nihil minus pauciores boni iuuenes scholam cum Academia commutent, quam prius. Assensus, quem Viri bene animati, rerumque scholasticarum per-riti, mihi non denegabunt, faciet, vt odium, quod veritas parere potest, et solet, facile vincam.

Quoniam multum potest prouisio animi, et praeparatio, ad minuen-dum dolorem, sunt semper omnia homini humana meditata, et nimisrum haec est illa praefans et diuina sapientia, perceptas penitus et pertraclatas humanas res habere, nihil admirari, cum acciderit, nihil, antequam euenerit, non euenire posse arbitrari. Permutum suavitatis habet hic locus Ciceronis, qui legitur libro III. Quæstionum Tusculanarum, et, licet pro consilio praefantissimi huius, inter Romanos, auctoris, longe aliud argumentum spectet, tam late tamen patere videtur, illum ut ad eandem rem, de qua in praesenti agere constitui, sine vila iniquitate accommo-dari posse, existimet. Omnis vita academicæ, cum fructu transigen-dæ, spes frustra concipitur, nisi illam antecesserit vita, in scholis sapien-ter ac prudenter peracta. Haec vita scholastica, vt verbis Ciceronis utar, exerceat animi prouisionem, ad minuendas difficultates, cum sublimiori-bus disciplinis coniunctas, haec exerceat animi praeparationem, ad peri-cula vitae solutioris omni follertia, omniisque studio fugienda, et, nisi iuuenis, dum scholas frequenter, omnia, quae ipsi in Academia accidere possunt, prius meditatur, quam ad illam proficisciatur, plurima, cum lectionibus Professorum intererit, stupore abruptus, admirabitur, et, li-bertatis atque licentiae differentia non satis perspicue intellecta, multa illi euenient, quae erunt aut inhonesta, aut ingrata, quoaque euentura antea non erat arbitratus. Nunquam igitur satis dolebimus iuuenes, qui, dum in ludis commorantur, perniciossimma animi leuitate decepti, aut omnino

VI

omnino præparationem vitae in Academiis futurae plane negligunt, aut oscitantes, et longe alia curantes, pauca tantum, eaque facilissima trahant, plurima vero in Academiam transferunt. Saiores sunt ii, qui scholasticae institutionis utilitatem multo maioris putant, quique arctissimum, quo schola cum Academia coniuncta et constricta tenetur, vinculum non rumpunt aut dissecant, sed omni animi intentione, omnique labore ad id incumbunt, quo fundamenta in ludis ponuntur firmissima. Qui vero hi sint, quibus in studiis sint versati, quibusque artibus, Academicae vitae inuenientibus, a magistris sint contenti, id est, quod iam indicabimus. Omnis meditatio diligentiorem rei, in quam est directa, supponit cognitionem, et procurat apparatus, quorum auxilio rem, quam propositam habet, se consecuturam, credit. Qui si tanta sunt præstantiae, vt ad metam præfixam contingendam sint apti atque idonei; ipsa præparatio fini respondeat, et bene sapienterque est confituta, sicut sunt eiusmodi, vt ope illorum res, quam spectant, aut frustra, aut falso non integra, neque cum fiducia quadam, speretur, tunc meditatio est irrita, aut parum sufficiens. Necesse igitur est, vt iuuenis, qui dicatur ad Academiam bene formatus, omnia in scholis adhibuerit subsidia, quae non parvam exspectationem sustinent vitae in Academia fructuose gerendae. Quae igitur haec sunt? omnium prima nominari meretur *exquisita, animoque commouendo apta, Religionis sanctissimae et amantisissimae cognitio.* Verum quidem est, in accuratori rerum diuinarum intelligentia maximam *uniuersiusque* hominis positam esse felicitatem, omnesque in viuersum homines, qui verae et aeternae saluti consequendae operam dent, nihil prius, nihilque antiquius habere, quam lo:, vt saluberrimam rerum sacratum scientiam omni, quae in vires mentis humanae cadere possit, diligentia atque assiduitate fibi comparent, sed præcipue, et multo maiori iure, gaudeat illa iuuenis, qui rerum, ad Academiam necessiarium copia dici velit instructus. Opus est, vt doctrinae sanctiores non solum omni perspicuitate, et grauiissimi certissimisque argumentis, ad captum eius sint accommodatae, sed etiam, vt cum tanta reverentiae animique deuoti excitatione, tantaque vi commouente in animum eius sint demissae, vt praceptor, externis pectoris elati et incensi signis, humiliimae in Deum pietatis ardore illum semper inflammaret. Alii enim iuuenum, qui in Academias se conferunt, diuinae sapientiae consecrati, doctrinarum coelestium aliis tradendarum aliquando curam

curam gerent, alii, soli humanarum artium studio dediti, commodis societatis ciuilis inseruent. Ad illos quod attinet, licet multo copiosiori institutione ad interiorem doctrinarum reuelatarum familiaritatem in Academiis admittantur, in scholis tamen, vt non minus exquisita, animisque commouendis idonea disciplina sint fructi, necesse est. Amor enim Religionis nunquam erit immaturus, praesertim si respexeris ad illecebras atque irritamenta vitae liberioris, et, quo maturius iuuenes accurata, animunque feriente, Religionis notitia fuerint imbuti, ^{et} aptiores expeditioresque erunt, ad eandem cum aliis communicandam. Hi vero iuuenes, qui aut legum iurisque intelligentiae, aut artis salutaris scientiae erunt studiosi, vberiori Religionis cognitioni, quamvis esset maxime opportunum, tempus operanque non impendunt, et certissime persuasum habeo, plurimos, ex illorum numero, Religionis sanctissimae contemtiores atque irrifores, quorum aetas nostra minis largum prouentum tulit, nunquam eo levitatis esse progeslos, vt aut Religionem, ad illudendum credulitati insimae plebeculae, fictam et excogitatam existimarent, aut eius praecelta adeo parum curanda sibi arbitrarentur, nisi illorum institutio scholaistica fuisset manca, sterilis, exsanguis, languida, ac prope dormiens. Hoc primum igitur est medium, quod consultit vitae in Academia utilissima ratione gerenda. Progredior ad alterum, quod cernitur in accurata, et cum *saporā quodam pulchritudinis coniuncta*, intelligentia humanarum artium, quae, si a Religionis cultu discesseris, omnia conferrunt, ad curriculum academicum quam felicissime ingrediendum. Quilibet, non pro aetatis nostrae gustu delica'ō, qui, corruptissimus, ab interna bonarum literarum indole atque suauitate quam longissime est remotus, sed, pro扇ori verae eruditio[n]is aestimatione, rerum in palaestra tractandarum, haud expers et bene animatus, se facilem praebet, si dixeris, omnia hic posita esse in indefesso veterum linguarum, *græcae* in primis et *latinae*, (vt *hebraicæ* nil detrahant) studio. Cui si accesserit primaria rum *Critices* regularum, *antiquitatum*, *historiae*, *geographiae*, *rhetorices* atque *dialetices* cognitio, fundamenta vitae academicae tam solida, tamque firma iecit iuuenis, vt, neque illorum, neque temporis atque laboris, in illis stabilendi adhibiti, ipsum unquam possit poenitere. Praecipuum vero, quod postulo, continetur eo, vt iuuenis harum artium, quas recensui, *exquisitam*, et cum sensu quodam *venustatis* copulatam, notitiam sibi comparare studuerit. Nisi enim id, quod percepisse credit, certissi-

VIII

certissimis, et mutuo consensu conspirantibus, principis nititur, omnis eius industria, in illo percipiendo, frustra est confusa, et, nisi gustum quendam elegantiae atque urbanitatis erit consecutus, non solum omnes humanitatis artes liberaliores, reliqua schoa, ipsi afferent et excitatunt fastidium, sed etiam omnes disciplinas academicas, quarum incantamenta atque suavitates per se multo minori vi allicitur, sine omni sensu internae et reconditae pulchritudinis sibi reddet cognitas, ut nihil dicam de obliuione scholastica, cuius praecipua causa latet in eo, quod multa quidem memoriae fuerunt impressa, sed mens, rationibus indagandis acunda, sine vlla religione et turpiter fuit neglecta. Tertium denique, cuius auxilio Academias sapientissime prospicit iuuenis, medium, est *composita*, et morum urbanitati conueniens vivendi ratio. Haec sane nostra aetate, cui tot morum emendationes atque venustates tribui posse creduntur, vnicuique iuueni, qui saltem aliqua cum dignitate fortunae augendae inferuit, tam necessaria est, ut sine illa, in circulis elegantiorum, parum habeat commendationis. Multo igitur maiori iure exspectatur ab illo iuene, qui in Academiam tendit, is ut quam maximo studio moribus fingendis animum habuerit intentum, necesse est. Mores eius sint *confantes*, sive, ut iam dixi, *compositi*, i. e. abiecto et contento omni, quod pueritiae et primae iuuentuti proprium videatur, deposita animi levitate, eiusque opinionibus praeiudicatis atque ludibriis perpectis, seueritati, atque grauitati, comitate tamen conditae, studeat, ut stultitiae pericula, in Academis alias non evitanda, fugiat, et, quoniam Professores, Patroni, beneficiorumque auctores, quorum benivolentia suffultus spem felicitatis futurae sustentat, ad illum commendandum, plura desiderant, quam ut tantum continetiae, et vitae, ab omni luxurie atque intemperantia abalienatae, sit deditus, opus est, ut morum elegantia atque humanae non minus, quam industria atque doctrina, illorum gratiam amoremque sibi conciliet. Haec tria sunt adminicula, quae tantae excellentiae puto, ut mihi quam maxime necessaria videantur, ad cursum Academiae felicissimis auspiciis ingrediendum, et ut persuasum habeam, illos iuuenes, ad studia in Academias prosequenda, optimè esse formatos, qui exquisitam, et animis commouendis aptam Religionis cognitionem teneant, qui accurata, et cum sensu quodam omnis pulchritudinis coniuncta, intelligentia artium disciplinarumque scholasticarum polleant, et qui *compositis*, *urbanitatisque accommodatis*, moribus sint adsuetati. A quantissimos sane iuue-

iuenes! non gratulamur Academiis, quid? quod, Patriae, de tali spe
 messis futurae? quanta est vis atque grauitas *Religionis!* iuuenes, illius
 institutione sollicita in scholis nutriti, non solum verum amorem erga
 Deum, tam potentem, tam benignum, tamque munificum Patrem, cui
 omnem felicitatem debent, sed tantam fetiam reuerentiam atque vere-
 cundiam conceperunt, vt diligenter caueant, ne quid consulto, dataque
 opera committant, quod tam venerandi Patris, non minus sancti et iusti,
 quam benioli et elementis, voluntati praeceptisque saluberrimis aduerse-
 tur, haud expertes, hunc Deum non solum esse testem atque iudicem
 omnium actionum nostrarum praesentem, intimosque animorum nostro-
 rum recessus spectantem et perscrutantem, sed seuerissimum etiam crimi-
 num et delictorum vindicem. Quanta est utilitas *humanitatis scholasti-
 cae!* Omnes omnino disciplinae sublimiores ab illa plurimum vel adiumenti,
 vel ornamenti sperant, ad illius fontes in rebus subtilioribus cursus
 semper est flectendus, et, quicquid elegantiæ atque splendoris doctrinæ
 altiores habeant, id omne acceptum ferunt literis humanioribus. Iuue-
 nes igitur, qui illas in scholis in dies amabiliores cognouerunt, quique
 illarum suauissimis saluberrimisque liquoribus et ingenia et pectora irri-
 garunt, Professorum lectionibus cum summo emolumento intersunt, il-
 lorum discendi cupiditas, cum rebus minutis ipsis non retardentur, quoti-
 die augetur, et quauis occasione felicissimorum in literis progresuum
 publica documenta edere possunt. Quam suauis denique et animis capi-
 endis idonea est *morum elegantiæ!* iuuenes ad illam fidem non sunt effre-
 natae viuendi rationis studiis, neque aegre ferunt admonitiones Virorum,
 qui ipsorum salutis curam gerunt, sed, modestiae, humanitatique dediti,
 comprobant dictum poetæ: *didicisse FIDELITER artes, emolliit mores,*
nec fuit, esse FEROS. Quid Academiae, quid Patriae traditur, tam
 bonae indolis iuuenes si in scholis succreuerunt!

Sed videamus, num *Renovata Scholarum Constitutio*, quae publi-
 ca auctoritate prodit, tantæ sit præstantia, vt tali, tamque frugiserae
 iuenum, ad vitam in Academiis propere et salubriter gerendam, præ-
 parationi inferuat. Supra iam, non sola animi submissi reuerentia, ad
 quam erga omnia, eaque saluberrima, Patris Patriæ decreta quilibet ciui-
 um obstrictus obligatusque tenetur, sed simul etiam certissima persuasio-
 ne, vehementissimoque animi gratissimi sensu, impulsus, professus sum,

hanc *Electoris Celfissimi* curam, quoniam omnis vita honestas atque sanctitas, omnisque filos atque salus coetus sacri, totiusque reipublicae a sapiente et prudente liberorum educatione pendeat, reliquas *Eius* res gestas omnes longe multumque superare. Quo quis est amantior patriae suavissimae, quo cupidior est salutis publicae, quo studiosior verae felicitatis liberorum suorum, eo ardentior est in optatis, et pro omnibus viribus, illi si quaerit fuit, laborat in eo, ut haec *Instauratio disciplinae scholasticae* vbiique locorum, et per omne tempus vim suam auctoritatemque obtineat. In praesenti versor in eo, ut vberiori fusiorique ratione amplissimam utilitatem eius magnitudinem comprobem, ut luculentissime appareat, illam esse normam accuratissimam, ad quam omnis praeparatio Academica, eaque prudenter, componatur et dirigatur. Antequam vero ad argumenta, quibus hoc confirmari potest, transeo, pauca quaerit alia ex praeflantissimis huius *Constitutionis Scholasticae* comodis, quae pretium eius mirum quantum augent, recensebo. Praescribit et iniungit omnibus scholis nostris unam eandemque disciplinam, virginem diligentissimam ingeniorum explorationem, omnibus, qui scholasticis munieribus distribuendis praesunt, sapientissime grauissimeque imponit hoc, ut magistros, qui, exquisitae doctrine speciminiibus editis, omnifide institutioni se totos tradant, iuuentuti scholasticae praeficiant, et ordinat orationes sacras, que ad commendandam educationis liberorum, scholasticumque curam, habeantur. Quae omnia certe tam praeclera sunt, tamque sapienter constituta, ut haec sola iam digna sint, quae fructuofissima putentur, animoque gratissimo agnoscantur. Quid enim est, quod maiori iure perniciosissimis verae eruditioinis impedientis a quolibet rei scholasticae perito aestimator eannumerari mereatur, quam nimia varietas disciplinae? quid saepius negligitur a parentibus, diligentia in explorandis filiorum viribus ingenii, qua cognoscant, filii bonis literis sint natu, an naturali quadam indole atque stupore ab illis discendis abhorreant? grauitas atque dignitas muneris scholastici nonne postulat, quid? quod, exigit maximam cautionem, ne iuventus curae atque institutioni committatur istius, qui, rerum tradendarum accurata intelligentia destitutus, expers bona docendi rationis, et nefandae perfidiae macula adspersus, illiberali, sordido et turpi quaestui habet scholam? ludorum denique cura, nonne, hac nostra in primis aetate, qua plurimi ad improbitatem, molitiem, ignauiam, et exinde redundantem male agendi licentiam adeo procli-

proclives sunt, ut verae Religionis cognitio neglecta iaceat, virtutisque studium frigeat, nonne, inquam, maxima verborum grauitate, maximoque in dicendo seruore videtur commendanda? Amplissimum igitur, in celebrandis his publicae scholarum emendationis commodis atque emolumentis, haberem campum, in quo exultare posset oratio, nisi in tantas angustias esset compellenda. Memor propositi, redeo ad interiorem huius *Constitutionis scholastice* indolem, ut firmissimis evidentissimisque argumentis planum faciam, illam sapientissimam rationem, viamque tuissimam ostendere, quae iuvenes ducat eo, ut omnia adiumenta sibi competent, ad vitam in Academiis integre et fructuose transfigendam. Eundem seruabo ordinem, in proferendis his rationibus, quo paullo ante commemorauit virtutes iuuenium, ad cursum Academicum bene praeparatorum. Omnia prima fuit *exquisita*, et ad animum commouendum accommodata Religionis reuelatae cognitio; videamus igitur, quid publica *Renovatio disciplinae scholasticae* ad illam instillandam conferat. Grauiter iniungit scholarum magistris, ut in compendio, publico vni recepto, cuiuslibet *quaestioni* mentem omni perspicuitate explicent, optimos et luceulentissimos librorum sacrorum locos, *pro ingenio linguarum*, quibus viri diuini usi sunt, interpretentur, et modum indicent, quo verum et certum doctrinae cuiusdam necessaria ratione ex illis possit et debeat deduci. Quibus simul sumitis, quid ad accuratam Religionis intelligentiam amplius possit requiri, non video. Omnia huic institutioni infunt, quibus nescitur et distincta notitia, et certissima ex principiis, propter auctoritatem diuinam, indubitate periusio. Sed, ut hacc Religionis disciplina simul proprius admoueat iuuenium animis, vtque discipuli diuinitus concitato animi motu atque affectu agitantur et inflamentur, hoc etiam imponitur magistris, ut omnia ad inspirandam veram in Deum pietatem exigantur et accommodentur, ut officia, quorum obligatio, ex meliori excellentiorique virtutum diuinorum orta, nos tenet, altius imprimenda currentur, et ut media, atque exempla illorum, ad alendam roborandamque menteam bonam, quantum fieri possit, referantur. Praeceptor igitur si imaginandi facultate, a iudicio purgata, pollet, si eo sono vocis, eoque vultu loquitur, ut ipse quoque commotus appareat, ad quam altitudinem attoller iuueam animos, qua admiratione atque reverentia illos explebit, quo spiritu illos adstabit, quos aculeos in illis relinquet! certe, nisi a natura insitus, et rerum humilium sordidarumque amore offusus

XII

stupor iuuenes ad omnem gratuitatis virtutisque sensum hebetauit atque obdurauit, necesse est, vt pectore sancto, et magno quodam spiritu animati, commoueantur, efferantur, quid? quod, abripiantur. Haec sunt commoda, quae nobis praefat *Renovata Constitutione scholastica*, in tradendis doctrinis sacris; contemplatur nunc, quantum illa proficit accurate, et cum separe quodam pulchritudinis coniunctae intelligentiae artium disciplinarumque scholasticarum, cui inter virtutes iuuenum, qui Academiam bene sint meditati, secundum locum supra concessimus. Extra omnem dubitationem est positum, quin haec, si huic Constitutioni in eo obtemperetur, vt iuuenes, qui nulli rei minus, quam boni literis, nati, et ad quodvis potius vitae institutum, quam ad doctrinam, studio ferri videantur, non admittantur, sed remoueantur, necessario sequatur. Nam ex vetustissimae antiquitatis monumentis, tam *grecis*, quam *romanis*, quorum lectione exerceantur et alantur iuuenum ingenia, et ex innumeris fere doctrinarum scholasticarum compendiis, non solum elegantissima, finisque scholarum conuenientissima elegit, sed etiam, id quod maximus est, ipsam disciplinam, qua iuuenes diligentissima, et ad excitandum omnis elegantiae atque venustatis sensum saluberrima cognitione imbuantur, praelapsit. Claris verbis interdicti discipulis eiusdem classis vsu auctorum, quorum scribendi ratio, propter aetatem, vitae genus et ingenii vires, diuersae est indolis, quorumque consuetudo atque familiaritas iuueni, optimorum similiumque lectione et imitatione nondum satis confirmato, permultis ex rationibus, periculosisq[ue] est, simulque requirit, vt verba auctorum omni cura atque sollertia exponantur, res scitu necessariae et viles notentur, ordo seriei contextae inuestigetur, et leproses atque suauitatis tanto studio explicitentur et collusfruentur, vt magistri, illis et cum sensu legendis, et recte scienterque imitandis, animos et ingenia auditorum adfuefaciant. Disciplinarum vero, quibus aditus ad scholas non sine maxima iniuria denegaretur, *historiae* nimirum, *rhetorices* et *dialectices*, ratione habita, modus ille docendi, quem subministrat *Publica Scholarum Emendatio*, vnicuique intelligentiori et aequiori harum doctrinarum aestimatori erit probatissimus. Nam in *historiae* monumentis consulendum censet *Synchronismo*, sive vinculo, quo res, eodem temporis spatio inclusae, arctissimae coniunguntur, et in praecipuis *rhetorices* atque *Logices* ratio illa, qua explicari vult praestantissima *Celeberrimi Ernesti initia doctrinae solidioris*, viribus iuuentutis, atque schola-

scholarum consilio tam congruens et accommodata est, ut omni assensu censeri mereatur dignissima. Non igitur huius etiam utilitatis nomine, et animo, et ore celebranda est *publica scholarum Saxoniae instauratio?* Restat *composita, urbanitatiue conueniens vivendi ratio;* perquiramus igitur, quanta vi proficiat fingendis formandisque moribus? Hic opus est, vt integrum Caput IX. illius *Constitutionis scholasticae*, quae scholarum Electoralium disciplinam ordinat, transferrem, si copiosa oratione est comprobandum, quanto studio ab illa commendetur et procuretur morum sanctitas, elegantia, cultusque mundities. Continentur hoc capite leges certe saluberrimae; et, quoniam omnes omnium ludorum magistri, vt easdem ad scholarum suarum vsum, quantum fieri possit, accommodent, obstricti tenentur, sine omni dubitatione illarum utilitas tam late patet, vt in omnes omnino disciplinae scholasticae alumnos redendet. Quid igitur plura? dilucidissime apparet, *publicam scholarum emendationem iuuenum, ad sublimiora Academiarum studia praeparandorum, commodis optime sapientissimeque inferire.* Quamdiu enim accurata Religionis sanctissimae notitia, exquista artium scholasticarum cognitio, et morum elegancia atque venustas, tres iliae erunt virtutes, ad quas consequendas omnis prudens et sapiens iuuenum, literarum studiis consecratorum, instituatur et dirigatur educatio, tamdiu ab omni dubitatione erit liberum, quin *Renovata Scholarum Constitution* tam fructuosa, tamque eximia sit, vt iuvenes, qui ad altiores doctrinas, in Academiis percipiendas, sint accessi, ad illius normam longe saluberrime fингantur atque poliantur. Nemo, nisi qui, vbi de rebus scholasticis aliquid legit, nugas se legere putet, aut, qui nouitatis studio, veraeque eruditio-
nis fastidiosae acta i nostre nimirum indulget, eo temeritatis progedietur, vt illius dignitati quid detrahendum censeat, omnium potius, qui saniores sunt in pretio rebus, communem utilitatem attingentibus, ponendo, una et contentiens vox est, hac *instaurazione disciplinae scholasticae* toti Saxoniae tantum munus esse allatum, vt gratissimo animo agnoscit, agnatumque in maximis amplissimumque ponit mereatur.

In hoc igitur tanto, *publica illa scholarum Constitutione* iniunctorum, eorumque saluberrimorum adminiculorum concursu, et in tanta ipsius aetatis nostrae, emendandas educationi consulentis, industria, quis dubitet, haec tempora nostra non minus felicia esse copia bonarum scho-

larum, quam prouentu iuuenium, ad vsum Academias optime subactorum, necessariisque artibus instrutorum? Atque ego peruelim ita esse, et omnes Academias iuuenibus et adolescentibus abundare, et doctissimis, et humanissimis. Nec nego, ita esse, quia neque hoc mihi sumo, vt de hac re in alterutram partem iudicem, neque est: istud meum iudicium, qui potius de discipulis meis, eorumque profectibus, quam de studiosis sublimiorum doctrinarum, iudicare didicisse censeor. Nihilo tamen minus me saepe perturbarunt, et nunc quoque perturbant voces multorum conquerentium de nimia paucitate iuuenium, ad Academiam bene preparatorum. Neque eae querimoniae in occulto sunt, aut mihi soli auditae, vt si quis forte putaret, rem triflitia, atque morositate quadam, temporum felicitati inuidente, in praesenti a me augeri, is non solum mihi vim inferret, sed etiam aduerfarium haberet confirantem confessum omnium Virorum, qui de talibus rebus vel iudicare debent, vel iudicare possunt. Adeamus, quaequo, eos, quibus datum est, sub explorationem vocare ingenia atque doctrinam eorum, qui stipendiiorum, quae dicuntur, liberalitate suffulti, literarum studia prosequuntur, et quam saepe iis contingat, aliquem reperire, qui ita poslit quæstiones propositas soluere, aut specimen alia quaecunque edere, vt artium scholastica rum cognitio appareat. Quantum vero ego intellexi, querelæ horum Virorum mouentur non solum de miserabil iuuenium nostrorum ignorantia, sed etiam de illorum moribus, nimis parum cultis, parumque elegantibus. Reperitur, inquiunt, his in iuuenibus sola quedam infuscata eruditio species, et saepe non ferenda infictio artium scholasticarum, quae tamen omnia conferunt ad formandos viros, patriæ quondam utiles, animaduertitur in illis magna arrogantia, effrenata licentia, ingenium non solidum, vt Philosophi loquuntur, sed superficiarium, obtusum, atque hebes, multarum rerum, nullo ordine digestarum, notitia, quae omnibus principiis est deflita, nequaquam vero eiusmodi quid, quod fructuosum sit ad vitam in Academias prudenter et sapienter gerendam. Opus igitur est, vt duo illa, quae supra nominaui, postrema, saluberri mae ad Academiam praeparationis subsidia, accurata nimirum, et cum sapore quedam pulchritudinis coniuncta, intelligentia artium disciplinarumque scholasticarum, et composita, urbanitatique conueniens vivendi ratio, in fingendis illis iuuenibus, in scholis sint neglecta. Itaque inquiramus, in quo resideat vitium, quo scholasticae eruditio fructus intercipitur?

tipitur? inuestigemus, vbi lateat causa *intermissione in scholis curae morum poliorum?* Antequam vero ad prioris quaestioni responsonem, eiusque rationes indicandas, progredior, nonnulla mihi praemunienda videntur. Alterum quidem hoc est, ne putes, querelas de ignorantia iuuenium, qui nostra aetate in Academias se conferant, tanti esse ambitus, tantaeque amplitudinis, vt omnes omnino complectantur, alterum, ne credas, in ea re docentium tenere vitium. Labores magistrorum, in ludis iuuenies exercentium; iisque assidui, quoniam salus scholarum est res Dei, qui cum actionibus, gloriae ipsius celebrationem, generisque humani felicitatem spectantibus, largissima praemia conneicit, nunquam sine omni fructu suscipiuntur et sustinentur. Pristinis quoque temporibus haud dubie permulti stupidi, ignorantes, agrestes et inculti scholas dereliquerunt, et felicissima femina, quae spargunt praecceptores in discipulorum animis, bonas adhuc fruges edunt, vt Academis permulti adhuc tradantur iuuenies, tantae segeti parés, vtque haec tantum vis sit praesentium querelarum, vt indicent, multo maiorem olim fusse numerum iuvenum, necessariis ad literas in Academis calendarum virtutibus ornatorum, quam hac nostra aetate. Neque est, quod credas, culpam huius mali in scholarum magistros (ipsum enim *Reuolutam Scholarum Constitutionem* ubique locorum receptam esse, spero, quoniam *Principis* nititur auctoritate, atque potestate) esse conferendam et coniiciendam. Nam penitus, neque, vt opinor, temere persuasum habeo, omnes illos tam accuratam, tamque late diffusam eruditioinem sibi acquisuisse, vt rationem illam rerum tractandarum, et ad captum discipulorum accommodandarum, quam *Institutione Scholarum publica* praescripsit, exacte obseruare possint. Hi igitur fidem atque curam in docendo praestant, profectus discentium praeflare nequeunt, qui si essent in magistrorum potestate, quis hominum viueret, iis, beatior? vbi igitur est causa mali? quid impedit plurimorum iuuenium progressus in curriculo scholastico? respondeo: *maxima animi levitas*, quae, sicut per se aetati iuuenili naturalis est, sic nostra aetate, praecipua quadam vi, iuuentu propriâ videtur, et *nimia fiducia*, quam iuuenes, tam ex eadem animi levitate, quam pro arrogancia atque superbia saeculi nostri, in viribus suis ponunt, sunt fontes turbulentissimi huius calamitatis. Nemo, nisi qui historiae literatae monumentorum egregie hospes et peregrinus sit, in admirationem abripitur, si dixero, literarum studia, eis non habeant quandam pulchritudinem,

XVI

tudinem, ortam et commodatam a sensibus, tamen, quoniam ab hominibus tractentur, in societatem illius inconstitiae trahi, qua res, sensibus percipiendae, assiduo motu agitantur, neque ullum certum statum teneant. Quoties barbaries atque infidicia, loco pristino pulsa, redire conata est? quoties recuperavit prope totas veteres possessiones? quoties omnium humaniorum literarum dignitas ita abiecta et contemta iacuit, ut vix posset restituiri? quid igitur mirum, nostram aetatem rursus incidere in talia tempora, quae barbariae tenebris inuolui videantur? num vel ipsi Religioni melior fortuna videtur reseruata? Summa animi leuitas eadem procliuitate despicit et contemnit artes scholasticas, animi intentione tractandas, que vel adulterioris aetatis homines refrigerescunt in studio atque amore Religionis. Hac enim temeritate decepti, iuuenes cum fastidio quodam auerulantur *linguam graecam*, cuius contentus tam ludicrus est, ut *Dan Heinius* conqueri cogeretur: *lucat mihi in maximo moerore meo idem apud nos usurpare: exequias literis, quibus est commodum, ire iam tempus est. Causam huius rei fortasse ex me scire vultis? verbo vobis respondebo: GRAECARVM LITERARVM, mihi credite, contentus est.* Futurus Theologus solus est, qui huic linguae discenda operam dat, qui vero legum intelligentiae, (et haec vera causa est, cur quasi in undemur horrenda eluione talium hominum) aut artis salutaris cognitioni se sunt consecraturi, studium huius linguae plane superfluum putant. Tantae, in literis colendis, leuitatis, eiusque scholasticae, non fuerunt maiores nostri, sed initium doctrinæ fecerunt a *Graecitate*, et, progressi deinde ad *Romanorum* libros, non prius ad *recentiorum* scripta se contulerunt, quam *graecos* et *latinos* fere totos imbiberant. Sic *Grotii*, sic *Casauboni*, sic *Salmasi*, aliquique, ad summum eruditio*nis* fastigium euedi sunt, nostri vero iuuenes, qui non solum ordinem hunc inuertunt, sed etiam Graecorum libros fugiunt, leues et temerarii spemunt illa, quæ fundamenta omnis doctrinae constituant. Non majori assiduitate *linguam latinam* tractant. Molesta plurimis videtur magistrorum subtilitas et difficultas, qua versiones germanicas, singula verba auditorum, et exercitationes in scribendo castigant, peruersa hac opinione captis, sufficeret, si modo possint sentientiam generaliorem indagare, et meatem suam qualisque ratione exprimere. *Errores grammatici?* hos non putant, quos carent. Neque id mirum, quoniam vel Vir quidam, qui multis scriptis, quæ lingua germanica edidit, magnam nominis famam sibi conciliauit, paucis

paucis abhinc annis, publice professus est, risu esse excipiemad Criticorum diligentiam, qua vitium, contra regulas Grammatices commissum, tantae grauitatis putent, quantae Theologi *crimen contra Spiritum Sanctum*. Quae collatio quam digna sit Theologo, ali, siue magis exercitati, et sagaciore, iudicent: ego persisto in iudicandis studiis iuuenum scholasticis. Quanti putant *antiquitatum, historiae, et geographiae antiquae* notitiam? omnium harum artium utilitati fines, quibus contineantur, angustissimos constitunt, negantes, illarum intelligentiam prodeste aetati. Quodsi igitur praecceptor ex illorum fontibus, ad explicandos autores classicos, nonnulla deriuanda censet, quasi oscitantes, et longe alia cogitantes, querunt: *quid haec ad nos?* ad priuatam denique industriam si resperxeris, quaeras ex plurimis discipulis, quem autorem legant? cui exercitationi horas, quas vacuas habeant, consecrent? num res perceptas frequentiori repetitione memoriae imprimant? vix, ac ne vix quidem, cohortationibus, permoueri possunt, vt assidui sint in lectionibus *publicis*, quibus finitis, omnia se praestitisse somniant, quae requirantur ad vitam scholasticam prudenter et sapienter transfigendam. Ita tanta igitur, tamque manifesta, discendarum artium scholasticarum perseveritate, cuius infelicissima mater maxima, neque vnguam satis deplorenda, animi leuitas est, mirandum videtur, si plurimis iuuenum per multae bona horae quotidie pereunt, nec quidquam verae et duraturae utilitatis a studiis scholasticis capitur? Huic accedit *nimia fiducia*, qua assentationis cuiusdam opinione maiorem ingenii felicitatem, maioremque cognitionem sibi fingunt. Tulit hanc temeritatem arrogantia aetatis nostrae, quae certe in plurimis, et vel inferioris fortis, hominibus, ad tam altum gradum ascendit, vt toto habitu atque cultu vitae genus longe multumque exce dent atque superent. Hinc eadem contagio iuuenes quoque attigit, vt, si exercitationes in scribendi facultate, a magistris propositas, sine graui aliquo vitio, adspersisque nonnullis loquendi formulis, transferre, et leues quaestiones, quae nullam iudicij subtilitatem postulant, soluere possunt, statim putent, sibi iam non opus esse amplius artium in scholis tradendarum studio, immo eas iam longe infra se, et disciplinarum, quibus percipi endis ipsi iam pares sint, esse altitudinem. Quid inde? quoniam magistrorum iudicio non amplius relinquitur, vt tempus determinent, quo iuuenes virium maturitatem, ad ferendas grauiores Academiarum disciplinas, et quasi concoquendas duriores solidioresque cibos, sint nacti.

C

ante

XVIII

ante diem pennas, sive potius *plumas*, in Academiam extendunt, praesertim, si admonitionem aut poenam quandam aegre tulerunt, si maioris libertatis desiderio tenentur, si spes stipendi consequendi assulst, aut annorum, quos habent, multitudo, ut scholam egrediantur, illos commonefacit. Quo nimis maturo abitu non tantum sibi nocent ipsi, sed scholis etiam ingentem cladem inferunt, quoniam, ad occupanda loca, in superiori classe, vacua, ex inferioribus discipuli prius sunt transferendi, quam viribus polleant, ad sustinendas grauiores difficultates, necessariis. Quis igitur est, qui, bonarum in ludis tractandarum literarum, ab invidia aetatis nostrae, corrupta et depravata consuetudine, felicem studiorum successum iuuentibus spondeat? quis promittit illis, consecuturum, ut aliquando egregiam discipularum Academicarum scienciam adipiscantur? praefentis aetatis indoles hoc sane, quam maxime necessarium, exigit, ut, quoniam per se multo difficultius est, in censum alumnorum *scholasticorum*, quam *Academicorum*, referri, omnes iuuenies, qui Academiam petant, religiosa ratione explorentur, et, fundamentis scholasticis supine neglectis, non admittantur, sed remoueantur, alias, decem, aut ad sumimum viginti annis praeteritis, ut pristina barbaries redeat, omniumque artium atque literarum dignitas, nouis tenebris obducta atque inuoluta, lateat, necesse est. Sed presius agam; superest adhuc posterior quaesito soluenda: *vbi lateat causa internissae in scholis monrum poliendorum curae?* Hic omnis culpa tribuenda est nimirum faciliter atque molli liberorum educationi, eique domesticae. Belli postremi vulnera, licet in aliis reipublicae membris, temporis diuturnitate, consanescant, in scholis tamen semper recrudescunt. Verbis enim non exprimi potest, quantum inde ab illis calamitosissimis, maximeque pestiferis temporibus corrupta sit priuata liberorum educatio, quantumque illa recesserit a more maiorum. Nimirum quedam indulgentia occupauit locum pristinae severitatis, facilitate quadam, quae nunquam satis poterit excusari, vitia perfuruntur liberorum, inconfulti, friuoli, et non solum *magistrorum* auctoritati, sed vel ipsius *Religionis* sanctitati multum detrahentes, audiuntur parentum sermones, filii, admonitiones magistrorum moleste ferentes, nituntur clientelam parentum, et quis est, qui nominet omnia educationis domesticae mala, quae pestem inferunt scholis? quilibet enim praecceptor, cui tantae indulgentiae, tamque molli disciplinae adseverati iuuenies obtruduntur, omni cautione incedere cogitur, ne isti, offensi,

fensi, ipsi quid apud patres interant, quod non sine aliqua aegritudine fit excedendum, aut, male mulctati, abeant, ipsique numeri discipulorum immuniti culpam, apud imprudentiores, contrahant. Exeunt igitur cum iisdem moribus, quos in scholam intulerant, et, simularque Academiae nomen professi sunt, maioris libertatis, ad quam in scholis iam (praesertim, si ciuitati Academicae iam erant adscripti) adspirauerant, iucunditate capti, in dies se praebent et gerunt effrenatores.

Quomodo igitur fieri potest, vt, non solum literarum artiumque, in scholis calendarum, ratione, sed etiam domesticae educationis grauitate, corrupta et in longe deteriorem conditionem redacta, plures boni iuvenes, aut saltem non pauciores, e ludis excent, quam pristinis temporibus? Nemo tam iniquus est, quin largiatur, omnem scholarum publicarum emendationem, nisi iuvenes, contra aetatis nostrae labem atque maculam, verae et exquisitiae eruditionis amore incendantur, et, nisi priuata liberorum disciplina sanior atque salubrior reddatur, frustra institui, omnemque eius utilitatis spem esse irritam. His malis, si in viribus humani tanti labores positi sunt, medeamur, his quecvelis propulsandis studeamus, harum lacrimarum fontes paecludamus, tunc *Scholae et Academiae* flos atque vigor redibit!

Mitto iam plura, et ad propositum venio. Illuxit nobis dies, quo memoriam felicissimam insignis clementiae instauramus, cui Deus Immortalis curam Renouationis Religionis Christianae, coetusque Christianorum Sacri salutem, commendatam habuit. Diuinae igitur bonitatis menor etiam est Schola, hinc per quatuor *integras indolis bonaerque spei* discipulos, quasi pietatis suae interpretes, Deo publicas gratias agere constituit. Prodibunt nimurum, ordine, quo se in subselliis excipiunt, inuerso :

I. FRIDERICVS GOTTLIEB MERKELIVS, Liebenwerdensis-Mifnicus, *de grauissimis vulneribus coctis Christianorum Sacro ab Romanis Pontificibus inflatis*, Oratione latina, qua simul Lyceo nostro vale dicet. Iuuenis, et literis scholasticis *Ornatissimus*, qui ingenii excellenta disciplinae maturitatem adiuuit, et morum probitate atque honestate *Lebitissimus*, cui, ad sustentandam spem, de ipso conceptam, et vere concipiendam, fauissima

quaenam a Summo Deo , animo tam integerrimo , quam lactifimo , appreco.

II. FRIDERICVS AVGVSTVS ZSCHIMMERVS , Lausa - Misnicus , de cauſis communis fere affensus , quo excipiebatur Lutherus , Sacrorum Inſtaurator . Oratione germanica .

III. AVGVSTVS AMBROSIVS ROEMERVS , Zwetauiensis - Misnicus , de Summa Lutheri gloria ex insigni Humanitate in emendandis Christianorum Sacris . Oratione latina , cui addet vota pro felicitate abeuntis in Academiam Amici .

IV. IOANNES GOTTFRIED FIEDLERVS , Cauertitensis - Misnicus , de commodis eximiis debitae in Religionem Christianam Reuerentiae . Oratione germanica .

Quos iuuenes vt Patroni atque Fautores Lycei cras , hora II. post meridiem , consueta benivolentia audiant , humanissime oro rogoque .
P. P. Torgauiae , a. d. III. Kalend. Nouembr. A. I. S. MDCCCLXXVII.



AB:155056

VD 18

ULB Halle
003 085 112

3




TA → SL

vor 75 Met /

VDT7

R

Cu



B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

datis, nihilominus
es, quam prius?

T,

FIONES OR

IGIONIS MEMO-
O

NDAS

VITANS

SINTENIS

RECTOR.

EERIANA.